



Prot. N. 02086/2023-962/23/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Felice Accrocca, Archiepiscopo Metropolita Beneventano, una cum Parocho Beatæ Mariæ Virginis Angelorum Paroeciae de Petra Elcina, eiusdem Archidioeceseos, occasione sollemni in honorem Beatæ Mariæ Virginis v.d. "della Libera" celebrationum quæ a die VI Augusti MMXXIII usque ad diem VI Augusti MMXXIV peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si paroecialem Beatæ Mariæ Virginis Angelorum ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi sollemnibus ritibus devote interfuerint, vel saltem coram imagine Beatæ Mariæ Virginis "della Libera", Caelestis Patronae, publicae venerationi exposita per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatæ Mariæ Virginis.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Parochus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XIX mensis Iulii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.

Maurus Card. Di Biase

*Aristophanes Nychiel
Regeus*